

Favente DEO ter, Opt. Max.  
DISPUTATIO METEOROLOGICA  
De

# PLUVIA,

In alma Lipsiensi, ex voluntate  
& consensu Inclutæ Facultatis Phi-  
losophicæ ad ventilandum publicè  
proposita,

PRÆSIDE

M. IOHANNES SCHREINER, O

Mityveidâ - Misnico, S S.


Theolog. Stud.

RESPONDENTE

LUCA POLLIONE, URATISL.

Sil. Philos. Baccal.

*Ad diem 12. Augusti, horis ab 8. matutinis,  
in consueto Philosophorum  
acroaterio.*



L I P S I Æ,

Excudebat GREGOR. Kitzsch,

ANNO M. DC. XXVI.

Meteorol.

330,62.







VIRO

*Amplissimo, doctrinâ, rerum usu, & autoritate  
eminentissimo,*

**Dn. LUDOVICO GUILIELMO MO-  
SERO**, Serenissimi Electoris Saxoniae Consiliario,  
ac Camerae Secretario primario meritissimo.

*Ut & Ejusdem*

**Generis laudatissimis:**

*Viro Excellentissimo & clarissimo,*

**Dn. HEINRICO VOLCKMARO, J.U.D.**  
Consistorij, quod Lipsiae est, Assessori, curiaeq; Pro-  
vincialis ibidem Advocato dignissimo:

*NEC NON*

*Viro Spectatissimo atq; literatissimo,*

**Dn. JOHANNI SCHEFFERO, J.U. Can-**  
didato, Feudatarjo in Salinis Saxonice primario:

**Dn. Mecœnatibus ac Fautoribus  
suis, et a tem colendis,**

hoc exercitium Academicum,  
in sui commendationem,  
dicat & consecrat

*Autor & Praeses,*

**M. Joh. Schreiner.**





Προούλιον.

**H**omo non immeritò à Philosophorum  
principe Aristotele l. 8. Physic. c. 2. t.  
17. nec non ab aliis appellatur μικρόκοσμος,  
mundiq; epitome; cùm omnium rerum in universi-  
tate hac contentarum similitudinem gerat, ac pro-  
portione respondeat omnibus: veluti inter alios an-  
notarunt Damascenus l. 2. de orthod. fid. c. 12.  
Greg. Mag. homil. 29. in Evang. Nyssenus l. de  
hom. opif. c. 18. Mizaldus in harmon. micro-  
cosmi cum macrocosmo. Nazianz. orat. 2. de pa-  
schat. Pontanus parte 1. voluminis 3. progymn.  
&c. Unde etiam Mercatus quæst. 3. scribit: ho-  
minis (natura miraculum) notitiam & veram  
cognitionem tanti aestimabat Antiquitas, ut solâ  
ejus inspectione reliqua omnia mundi miracula fa-  
cile innotescere & patefieri arbitraretur, cùm in-  
tra se ea omnia, vel omnium simulachra homo con-  
tineat, ita, ut jure optimo parvum mundum nun-  
cupaverit. Hinc Philosophus in libris historia-  
rum proponit hominem tanquam regulam ac men-  
suram ad cæterarum omnium animantium cog-  
nitionem; teste Scaligero exerc. 250.

Verùm omisissis jam reliquis convenientiis mi-

A 2                      crocosmi



*crocosmicum macrocosmo, quas alij prolixis scriptis passim edisserunt, & in primis Antonius Mizaldus de harmoniâ humani corp. & cœli: nos tantùm hâc vice cogitantes de media aeris regione, in qua vapores, ex locis udis euecti, condensantur, inq; nubes coguntur, ac deniq; in pluviam resolvuntur; deprehendimus sanè, eam analogiâ quadam convenire cum cerebro nostro: quem in locum vapores è ventriculo sublati, frigescent, (cùm cerebrum partium omnium corporis sit frigidissimum, asserente Philosopho l. 2. de part. animal. c. 7.) indeq; velut in pluvias soluti, in partes subjacentes defluunt, catarrhosq; & alia symptomata efficiunt. Hanc igitur de pluvia doctrinam ab omnibus, qui suae valetudinis jacturam facere abhorrent, attentè cognoscendam esse; suadet Meurerus in sua explic. de pluvia. Intelligens enim quid sit pluvia, quibus ex causis & quomodo oriatur; procul dubio etiam intelliget, quid sit catarrhus, quomodo fiat, quibus ex causis augeatur, quomodo minuatur, & prorsus vitetur. Abrupto igitur proœmij filo, absq; ulteriori mora ad rem ipsam, quam tractandam suscepimus, convertimur. Sit itaq;*

THEOREMA I.

*Pluvia un-  
de deriv.*

**A**ggressuri tractationem de pluvia; (quæ vel à pluendo, vel juxta Isidorum à fluendo dicitur, quasi fluvia, eò quòd fluat) causas ejusdem primo

mo



mo loco adducemus; siquidem omnis causa, quæ  
causa, prior est suo causato; (*l. 2. poster. anal. c. 16.*)  
καὶ τότε ἐπιστάμεθα, ὅταν τὴν αἰτίαν εἰδῶμεν, & tūm demum  
rem scimus, cūm causam cognoscimus, uti docet  
*Philosophorum Rbosphorus l. 1. analyt. poster. c. 2.*

II. *Causas* verò duplicis esse generis, vel *inter-*  
*nas* vel *externas*, nemo doctorum nescit. *Interna*, quæ  
ut partes essentielles essentiam rei ingrediuntur &  
constituunt, sunt *materia & forma*.

III. *Materia* pluvix est vel *remota* vel *propin-* *Materia*  
*qua.* *qua.* *pluvix:*

IV. *Remotam* dico vapores humidos & crassos, *Remota.*  
ex aqua & locis aquosis extractos inq; sublimē eve-  
ctos; qui cūm in mediam aeris regionem emicuerint,  
reperito ibi frigore, in *nubem* se induunt. *Arist. l. 1. Me-*  
*teor. c. 9.*

V. Et *hec* postea fit *materia* pluvix *proxima*; cu- *Proxima.*  
jus cūm *duæ* sint *species*, alix γόνιμοι *fœcundæ*, alix ἀγόνι-  
μοι *infœcundæ* seu *steriles*, dispiciendum erit, quæ-  
nam sint pluvix *materia proxima*.

VI. *Steriles* ob vaporum raritatem & siccita-  
tem albescentes, non effundunt pluviam, sed potius  
ventorum dissolutione vel corporum cœlestium vir-  
tute in aërem convertuntur.

VII. *Fertiles* verò ob vaporum densitatem ni-  
grescentes, fundunt pluvias, quibus terra rigatur &  
fœcundatur: adeoq; hæ sunt *materia proxima*.

VIII. Hactenus de *materia*, sequitur *FORMA*; *Forma.*  
quæ uti in aliis naturalibus, in primis verò in *Meteo-*  
*nis*, & hîc ipsa vix obvia: ac si usquam alibi, certè hîc  
verissimum est illud *Scaligeri, exer. 307. sect. 21.* dicen-



tis: nos instar vulpis, à ciconia elusæ, vitreum vas lam-  
bere, pulsem non attingere.

IX. Nostra enim scientia est *umbra in sole*; si-  
quidem in magno versamur periculo, ne nostra sen-  
tentia humi repat circa sola accidentia, dum nulla  
nobis forma planè & plenè nota; & quodammodo  
non nisi per *παρασάσεις* cognita. Hic si quis miretur,  
nominet formam illam, nominet formam lapidis, &  
Phyllida solus habebit; ingeminante *eodem exerc. 307.*  
*sect. 12.*

X. Interim ubi non obtingunt comitissæ, pe-  
disse quis & ancillis rusticanis simus contenti, h. e. ubi  
veræ formæ nos latent, earum in locum accidentia  
substituamus, monente *communi Germaniæ Præceptore*  
*Philippo l. 1. dial. p. 16. quippe* quæ testantur de suis sub-  
jectis.

*Accidentia*  
*aque.* XI. Sunt autem quatuor in primis hujus Me-  
teori *accidentia*; nim. *locus, tempus, figura, sapor*, qui-  
bus explicatis, ipsam *pluvie generationem* adjunge-  
mus.

*Locus.* XII. *Locus*, ex cujus cognitione haud pessimè  
substantia cognoscitur juxta *Scalig. exer. 79.* est *media*  
*aeris regio*, in quam halitus isti humidiores & crassio-  
res delati, vel supra eam non ascendunt, vel si ascen-  
derint, ob calorem & motum superioris regionis dis-  
gregantur, nec valent in nubes verti: Magnâ tamen  
ex parte mediam non pertranseunt, in qua à radijs  
derelicti, nec non ab halitu calidiore, qui superam  
regionem petit, à frigore ejus regionis condensan-  
tur, conspirante ad id conditione propriâ ipsorum  
halituum, qui ex humido aqueo & frigido educti,  
alienum



alienum calorem facilius extinguunt : veluti docet  
*Piccolom. part. 4. rerum natur. c. 11.*

XIII. *Tempus generationis* quod attinet, licet <sup>*Tempus.*</sup> quidem nullum non gignendæ pluviae sit aptum, alterum tamen altero est aptius. *Aptissimum* verò est *tempus autumnale & vernum*, cum aer sit humidus, teste *Philosopho l. 1. Meteor. c. 12.* contra verò in *estate* sit siccior, & æstus vapores collectos facile consumat. In *hyeme* deniq; pluviae sunt rarissimæ propter solarium, terram obliquè ferientium, imbecillitatem, quorum evocatu vapores in supera pervenire debent.

XIV. Quoad *tempus durationis*, pluviae reliquis humidis Meteoris sunt *diuturniores*. Quotidiana enim testatur *experientia*, pluviam non rarò multis diebus continenter decidere; *tùm* quia nubes non simul ac semel; sed successivè resolvitur in aquam: *tùm* quia vapores novi absq; intermissione frequentesq; nubium pluviarum alimenta futuri, sursum evehuntur. Causà igitur non deficiente, effectum quoq; longiorem & continuum ne miremur.

XV. *Figura* guttarum est *rotunda*. Successivâ <sup>*Figura.*</sup> enim ista resolutione nubis, aqua pluvialis se in globulos colligit, *tùm* sui conservandi causâ; *tùm* quia pondus habet insitum, quo pondere partes tanquam ad centrum vergentes conglobari solent: *tùm* etiam propter volutationem, ex sententia *Alberti Magni*. Esse verò figuram pluviae rotundam, patet ad oculum in herbarum vel arborum foliis, ubi, si quæ guttæ adhæserunt, in rotundum jacent. Probat etiam hoc ipsa excavatio, à guttis facta; ex qua liquet, huic etiam simile



simile esse quod cavat. Locum enim sibi ad formam & habitum suum exsculpsit.

*Sapor vel*

XVI. *Sapor* deniq; aquæ pluvialis *diversus* est; id quod vaporibus illis nubium parentibus tribuendum esse censemus. Iste autem sapor potissimum est *duplex: dulcis & amarus.*

*Dulcis.*

XVII. Pluvia *dulcis* est *ab aërio sibi admixto.* Sed quærat hic aliquis, *unde aqua pluvia ex falsis maris liquoribus hausta dulcescat?* respondent *Meurerus in quest. Meteor. c. de pluvia; Goclenius Phys. compl. l. 7. c. 17. & alij;* quòd solis ardore percocta dulcescat, sicuti videmus, fructus immaturos esse saporis ingrati, quibus postea fatis à sole percoctis, grati & dulcis fieri saporis,

XVIII. Verùm videtur hoc esse contrarium *Philosopho, in problem. sect. 23. probl. 30.* asserenti: maris & aquarum dulcium summa, vis Solis exercet, itaq; id falsius esse necesse est, quod his residuum extat, unde humor dulcis exactus est, quàm unde nihil vel minus abiit. Atq; sic omnes ferè *Philosophi* unanimiter statuunt, aquam marinam esse eâ de causâ *falsam*, quòd partes istæ crassiores magis sint adustæ vi solis. Vide *Scalig. exerc. 51.*

XIX. Magis igitur nobis ista arridet sententia, quæ dicit: Solem vi radiorum suorum agere in partes superiores maris, & partes tenuiores, in vaporem converfas, educere; partes verò magis terrestres relinquere: quæ terrestres magis sunt *falsæ*, tenuiores autem *dulces*: quando ergò tenuiores educuntur, simul dulcedo auferatur necesse est: id quod etiam ipse *Philosophus* innuit *sect. supra citatâ; nec non l. 2. Meteor. c. 2.* ubi ait: quod subtilissimum ac dulcissimum

mum



mum est, sursum ducitur. Sic *Milichius comment. in l. 2. Plinij.*  
Et hæc *dulcis pluvia* solet esse admodum *fœcunda*, quippe  
quam terra avidius excipit, quàm insuavem & amaram.

XX. *Pluvia amara* est à *terreo, sicco, & adusto admix-* *Vel ama-*  
*to*: quæ plerunq; *frugibus* nocumento est, cum exsiccet & *rus.*  
sterilitatem afferat, non secus ac acetam vel urinam.

XXI. *Pluvia salsa* amaræ vicina, non incommodè  
etiam huc videtur referenda, quæ fit *propter exhalationem*  
*vapori intermixtam*: de qua eruditè *Ludov. Cælius Rhod. an-*  
*tig. lect. l. 14.* pluviam quandoq; salis gustum concipiunt,  
quatenus iis permiscetur vapor calidus & siccus, dum at-  
tollitur humectans & frigans. Indeq; expulsam calidam  
à frigido siccam exurit in nube, quæ causa pluviam salis sa-  
porem ingenerat. *Scaliger exer. 51.* inquit: à nimbis subfal-  
sas aquas aliquando fuisse demissas, non tantum auditio-  
ne accepimus; sed etiam *tum* lectione, *tum* sensus captu  
compertum habemus. Quid mirum? cum etiam indi-  
dem sulphur erumpat; cujus saporem ad salsuginem ver-  
gere percipias aliquando, si multa experiare. Beatam ve-  
rò alteram illam futuram vitam; quæ docebit nos, quo-  
modo fiat ab exustione salsum: nunc enim meta intelle-  
ctus nostri est.

XXII. His *accidentibus* talem *generationis modum* *Modus ge-*  
subnectimus: Vapores humidi in mediam usq; aeris re- *nerationis.*  
gionem evehuntur, & istuc coguntur ac densantur in nu-  
bis formam, quæ postea vel calore solis liquefacta solvi-  
tur, vel exactius refrigerata densatur magis, & vertitur in  
aquæ guttas: & quia guttæ illæ aere sunt graviores, ideò  
per naturam descendunt, & inde oritur pluvia.

XXIII. *Zabarella* brevibus hæc complexus est, *l. de*  
*natural. scient. constit. c. 24.* inquit: ex vapore, in subli-  
me elato & frigescente, generatur pluvia. Videantur hæc



de re *Aristoteles* l. 1. *Meteor.* c. 9. *Conimb. tractat.* 7. de *meteor.* c. 1. *Piccol. part. rerum natur.* c. 11. *Velcur. comment.* l. 3. c. 5. *Francis. Valles. Sac. Philos.* c. 46. p. 359. *Goelen. Phys. compl.* l. 7. c. 16. *Sennert.* l. 4. *Phys.* c. 6. & alij.

XXIV. Huc usq; de causis *internis*: accingimus nos ad *externas*, nim. *Efficientem* & *Finem*, quæ rei compositionem ut partes *essentiales* non ingrediuntur.

*Efficiens.*

XXV. *Efficiens* causa pluvix est vel *Hyperphysica* vel *Physica*, eaq; rursus vel *remota* vel *propinqua*.

*Hyperphysica:*

XXVI. *Hyperphysica* est *DEUS*; causa efficiens pluvix absolute prima: quam ut hoc loco poneremus, monuit etiam præceptum *Philosophi* l. 2. *Phys.* c. 3. dicentis: oportet in unaquaq; re causam supremam, h. e. primam querere. Et quomodo non esset impium, eum è censu causarum efficientium removere, qui omnium rerum effector est, uti *sacra litera* multis in locis testantur: quem etiam pluvix autorem asserunt, uti videre est, *Genes.* 2. 5. *Deuter.* 28. 12. *1. Reg.* 8. 36. 2. *Paral.* 6. 27. 1. 18. 1. *Jobis.* 5. 10. c. 38. 26. & 28. *Psal.* 68. 10. *Psal.* 147. 8. *Jerem.* 5. 24. c. 10. 13. c. 14. 22. c. 51. 16. *Joel.* 2. 23. *Amos.* 4. 7. *Zachar.* 8. 12. c. 10. 1. *Matth.* 5. 45. *Actor.* 14. 17. & c.

XXVII. Diversum verò hinc sentimus, à *Danso*, qui statuere videtur *parte 2. Physices Christ. tract.* 2. c. 19. Deum esse causam Meteororum solitariam, & proinde Solem ab *Aristotelicis* ineptè assumi. Vbi quidem facilè concedimus, Deum esse causam meteororum: Sed non est sola: agit enim per causas intermedias, neq; vult consuetum & semel præscriptum naturæ cursum interrumpere, si modò agit ordinariè.

*Physica, remota.*

XXVIII. *Physica efficiens remota* est *virtus Solis* & *astrorum*, in primis tamen *Solis*; *1. Meteor.* 9. quibus *Astrologi Lunam* & *Venerem* ex *Planetis*; *Pisces* item, *Plejades*, *Hyades*,

*des,*



*des, Orionem & Arcturum* ex fixis stellis adjungunt. Quæ omnes humorem in vaporem conversum è terra attrahunt, inq; mediam aeris regionem elevant.

XXIX. *Efficiens causa proxima* non est eadem, neq; *Proxima.* etiam eodem modo pluvias producit. Est enim vel *calor* vel *frigus*.

XXX. *Calor* pluvia est efficiens, quando nubem concretam liquefaciendo dissolvit. Contraria enim contrario in invicem ut plurimum agunt modo: jam verò calidum contrariatur frigido; quin igitur frigore concreta solvantur calore, nullum erit dubium: ad oculum hoc patet in *adype, oleo, butyro, melle, glacie, nive* & similibus. Testatur etiam *experientia*, veritatis magistra, quòd tempore hyemali, quando immensa frigoris vehementia, non adeò largè aut facilè pluvia generentur ac decidant, sicut æstivo tempore, quando summa est caloris intensio. Videatur *Zanch. de oper. sex. dier. part. 2. l. 3. c. 5. thes. 1.*

XXXI. Verùm *iste calor* est vel à radiis solaribus, qui in nubibus istis inflexi, gignunt calorem: vel ab exhalatione in nubibus æstuante: vel à fulminibus & fulgetris, quibus nubes finduntur ac liquefiunt: & hîc evidens est *ratio*, quòd tempore vehementiorum tempestatum pluvia sint densiores ac copiosiores; cum hæc fulminum actio sit efficacissima, subitoq; nubes liquefaciat.

XXXII. *Frigus* deniq; pluvia est efficiens, quando per modum condensationis è nubibus humorem exprimit. Hinc *Aristoteles l. 1. Meteor. c. 13. ait: δια ψυχρότητα συνίσταται ὁ ἀτμίζων ἀήρ εἰς ὕδωρ*, propter frigiditatem coit vaporosus aer in aquam. Id quod videre est in *vaporariis & humidis hypocaustis*, ubi vapores ad parietes vel fenestrarum orbiculos frigidos propulsi condensantur, & in guttulas aqueas resolvuntur. Eodem modo vapores è ven-



triculo sursum ad caput ascendentes, frigiditate cerebri condensantur, & in humorem aqueum transeunt.

XXXIII. A nonnullis quoq; *venti* inter causas efficientes pluviae numerantur, quorum aliqui nubes dissipant, alij cogunt & ex iisdem coactis motu suo aquas excutiunt. *Conimbr. tract. 7. c. 1. f. 60.* Et hanc causam esse putant, quod in *Aegypto* rari admodum imbres existant, quia flatus *Austri* (qui maximè *ventus pluviosus* dicitur) vix aut planè non eò pertingit; teste *Philosopho in problem. sect. 26. qu. 47.*

XXXIV. Duplex hìc occurrit *questio*, quam intactam pratermittere nolimus: *an nim. Diabolus pluvias & tempestates ciere possit?* & deinde *numquid striges & veneficae magicis suis incantationibus eas producere possint.*

An diabolus possit ciere pluviam.

XXXV. Quòd diabolus possit excitare pluviam, aliqui obstinatè pernegant, judicantes: *Cacodæmonem*, utpote bonum Astronomum, animadvertere venturam pluviam, atq; tunc persuadere mulierculis sibi addictis, ut hac vel illà ratione pluviam sibi producere videantur.

XXXVI. Illi tamen parùm videntur perpendere illud *Pauli Ephes. 2. 2. & cap. 6. 12.* quando *Diabolus* dicitur *ἀρχων τῆς ἐξουσίας τῆ ἀέρος*, princeps, cujus potestas est in aere; neq; veritati hoc contrarium esse putamus, si eundem pluvias inferre posse crediderimus. Cùm enim alia possit plurima, quæ rationis nostræ captum excedunt, quomodo non possit ea, quæ naturali modo fieri solent?

XXXVII. Etenim spiritus est potentissimus: duplici tamen ratione impeditur, quò minus quicquid lubet efficere valeat: 1. quidem, cùm finita sit substantiæ: 2. cùm idipsū quod potest, etiā DEO inhibente non possit. Jam verò, DEO permittente, quid Diabolus possit, dispiciendum est.

XXXVIII.



XXXVIII. Finitæ substantiæ finita etiam necessariò est potentia : atqui constat, diabolum finitæ esse substantiæ; propterea etiam potentia ejus erit finita & determinata. Hinc rectè *D. Ponceus l. 1. de divin.* inquit: fatendum nobis est, plurimum in hisce corporibus sublunaribus, præcipuè in elemento aeris Dæmoni licere, ita ut varia prodigia meteoris similia non solum effingat; Sed & materiam in aere collectam ad hanc vel illam formam suscipiendam cogere, & ad effectus non modò naturales, verum etiam miraculosos in hominum vel pœnam vel pœnitentiam, *Dei permisso*, trahere possit.

XXXIX. Statuimus igitur; diabolum, *DEO permittente & naturâ concurrente*, posse pluviam inducere. Ipse enim Dæmon, uti *etymon ipsius* ostendit, probè scit, ad quos effectus naturalia activa ingenitâ vim habeant, eaq; prudentissimè ad idoneam materiam novit applicare: docentibus *Conimbr. l. 2. Phys. c. 1. quest. 6. art. 2. & l. 1. generat. & corrupt. c. 4. quest. 10. art. 3.* Ipse materiam Elementorum variè & mirè concutere potest: ipse disgregatas exhalationes cogere & componere valet, ut sævissima ingruat tempestas: ipse potest <sup>nubes</sup> dirumpere, vel aliò transferre, &c.

XL. Hancq; ipsius *potentiam esse limitatam*, in primis liquet ex *Jobo c. 1. & 2. Matth. 8. 31.* Quod etiam inde colligere licet, quòd ipsius potentia procul dubio esset tanta, ut, si posset, omnes homines universamq; naturam penitus everteret.

XLI. Ad alteram quæstionem, *an nim. lamie malefica suis incantationibus pluviam producere possint*: responde-  
mus: istas propriâ virtute ex se & per se nullo planè modo <sup>An striges possint inferre pluviam.</sup> pluviam inferre posse.

XLII. Ipsæ quidem veneficæ hoc sibi persuasum habent, quasi propriâ facultate pluviam excitent: Sed



nihil minus præstant : Hoc enim efficient *vel* quatenus sunt homines *vel* quatenus sunt incantatrices.

XLIII. At *quatenus* sunt homines pluviam producere nequeunt ; aliàs etiam omnes in univèrsùm homines tale quid pro lubitu præstare possent : quod tamen ipsis denegatum est ; cum *pluviarum productio opus sit solius DEI*, uti patet ex *Jerem. c. 14. 22.*

XLIV. Neq; etiam *quatenus* sunt *incantatrices* tali pol-  
lent potentiâ : Talibus enim utuntur *mediis & instrumentis*, quæ planè sunt ridicula, nec cum effectu, quem efficere sibi videntur, aliquid cognationis aut affinitatis habent ; ac proinde ijsdem neq; stillam aquæ producere possunt.

XLV. Quòd si ergo sagæ istæ pluvias produxisse dicantur, eæ à *diabolo*, eo quo diximus modo producuntur, aut prævisæ saltem nunciantur. Hic astutè harum muliercularum mentes exagitat, & instigat, ut hæc illave parent, quasi *vel* ob invidiam in proximum *vel* vindictam adversus inimicum aerem sint turbaturæ & tempestatem provocaturæ.

XLVI. Itaq; eas instruit, ut quandoq; silices post tergum occidentem versus proijciant, aquam in scrobe turbent, gallinam nigram elixent, imaginem crucifixi in profluentem trahant, ova aquæ frigidæ inijciant, & id genus alia deliramenta efficiant ; quibus si successus responderet, magis in sua superstitione confirmantur, quasi eventus hic ridiculam ipsarum operationem subsequeretur, Atq; sic Diabolus easdem delusas eò, quò placet, circumducit, & in rota superstitionis & impietatis distorquet.

XLVII. Ad finem facimus progressum. Cùm enim juxta *Philosophum l. 1. de cælo c. 4. ὁ Θεὸς καὶ ἡ Φύσις ἑδέν μάτην*

ποιῶσιν,



*πρωτων*, sed propter finem: Et verò *finis & bonum convertantur*; etiam huic meteorò suus erit finis & suum bonum.

XLVIII. Atq; hac in parte dissentimus ab *Empedocle; Epicuro & aliis veteribus Philosophis*, contendentibus, pluviam ob certum ac peculiarem finem non generari, sed potius ob materiæ necessitatem: referente *Piccolom. part. 4. Phys. c. 11. p. 907.* quo etiam errore laboravit *Casalpini*, asserens; nulla propter finem fieri meteora, quem refutavit *Tanrellus in alpb. cœsis l. 1. q. 7. pag. 99.*

IXL. *Finis* autem pluviae est *multiplex: 1. est salus animalium*: dum videlicet pluvia aerem refrigerat & salubriter temperat in maximis Solis fervoribus, quales tempore æstivo esse solent, ut sic felicius vivant animalia, & præsertim homo, cujus in usum omnia terrestria sunt condita.

L. 2. *Terræ irrigatio & fœcundatio.* Pluvia enim terram irrigat, abluat, lato humore perfundit, eamq; fertilem reddit, ut pinguiora pabula concipiat & magnam vim frumentorum & fructuum omnis generis edat. Quem etiam finem *sacra scriptura* pluviae multis in locis assignat. Vide *Psal. 65. 11. Deut. 11. 14. Actor. 14. 17. &c.* Hinc proverbium ortum est: *terra amat imbrem.*

LI. *Tertius* affertur finis ab *Aristotele l. 8. histor. animal. c. 19. nunt. Piscium nutritio*: quando inquit: piscium genus maximâ ex parte annis pluviis benè vivit: ita enim non modò plus cibi nanciscitur, verùm etiam pluvio humore juvatur, ut ea, quæ terrâ gignuntur. &c. Cui assertioni astipulatur communis *experientia*, dum tempore pluviae pisces supernatant & pluviae applaudere videntur.

LII. Adductis causis, *Definitionem* talem subjungimus: *Definitio.* Pluvia est meteorum aqueum, ortum ex nube, in destil.



destillantes aquæ guttas vel calore vel frigore solutâ, propter animantium & terrâ nascentium salutem.

*Divisio.*

LIII. Definitionem excipit *divisio* : pluvia est vel *naturalis*; vel *prodigiosa*, eaq; vel simpliciter talis, vel secundum quid.

*Pluvia prodigiosa.*

LIV. *Prodigiosa simpliciter talis* est, quæ fit absq; causis secundis modo miraculoso ac hyperphysico; veluti quando *Hebraeis* per inculta & vasta locorum tendentibus, annis quadraginta in dies singulos manna pluit, quo cibo victitarunt; *Exod. 16. 13. Num. 11. 31.* vel quando imbres ignei & sulphurei *Pentapolim* fœdissimi sceleris impuritate infamè perdiderunt *Gen. 19. 24. &c.* Causas harû rerum naturales nemo Physicorum dare vel investigare potest: atq; hæc proinde pluvia ad Physicæ forum non spectat, cum sit effectum planè divinum & miraculosum.

LV. *Prodigiosa secundum quid & aliqua ex parte* est, cujus aliquæ causæ Physicæ apparent & quæ non sunt contra omnem naturam: interim tamen cum ea sit rarior, & consuetum naturæ modum excedat, meritò prodigiosa appellatur.

LVI. Licet verò talis pluvia prodigiosa non fiat à natura, fit tamen in natura & sæpissimè cum natura, uti acutissimus ait *Scaliger*: atq; ita Physico non vitio verti debet, si quæstionem de ea instituit. Quasdam igitur *hujus pluvie species cum causis* breviter adducemus.

*Prodigiosa pluvie species.*

*Pluvia Lactis.*

LVII. *Lactis pluvia* accidisse legitur, *Publico Scipione & Lucio Calpurnio Coss.* anno ab urbe condita 643. item *Sergio Galbâ & M. Scauro Coss.* anno 646. referentibus *Livio dec. 3. l. 7. & Plinio l. 2. natur. histo. c. 56.* Quod verò lac per pluviam naturaliter descendere possit, plariq; negant *Physici*, cum in animalibus tantum illud generetur: posse autem simile quid lactis delabi, absurdum non esse statuunt,

unt,



unt, quando nimirum vapores *vel* radiis Solaribus ita percoquantur, *vel* iis ex rebus attrahuntur, quæ albo humore abundant, ut postea in altum euecti & coagulati lactis colorem induant.

LVIII. *Sanguine* pluit *Cneo Octavio* & *T. Annio Ruffo*. *Sanguinis.*  
*Coss.* anno post urbem conditam 626. cuius etiam pluviae mentionem faciunt *Livius dec. 3. l. 4. dec. 4. l. 10.* & *Plinius loco laudato.* Quæ fieri potest, quando virtus Solis vapores *vel* ex cruentatis aut rubricatis aquosis locis evehit, *vel* ita percoquit, ut rubescant; sicuti videre est in urina febricentium, lixivio & lateribus percoctis.

LIX. *Carnis* pluvia decidit, *L. Volumno* & *Servio Sulpitio*, *Coss.* testantibus *Plinio ib. Valerio Max. l. 1. c. 6.* quem imbrem ingentem avium numerum volitando rapuisse, dicit *Livius dec. 1. l. 3.* Ratio hujus pluviae dari potest, cum exhalationes istæ sanguineæ coeunt in aere in unam quandam massam, posteaq; per pluviam descendunt.

LX. *Calibus cretam* pluuisse, autor est *Livius, l. 4. dec. 3.* item *Julius obseq. prodig. 104.* *Terræ* pluvia legitur apud *Liv. dec. 4. l. 4. 5. 7. dec. 5. l. 5.* apud *Julium obseq. prodig. 51. 53. 68. 70. 79. 86.* *Luto* pluit in *Aventino*, teste eodem *Jul. prodig. 104.* *Luti* pluviam *Chemnicij* fuisse, scribit *Georgius Agricola l. 5. de ortu & causis subterraneorum.* Quæ omnia fieri possunt, quando pinguis & crassa vaporum materia; à Solis calore diu multumq; subacta in unam quandam massam coit, hancq; *vel* illam formam admittit.

LXI. *Pisces* nonnunquam cum pluviis descendisse, *Piscium.*  
tradunt *Scriptores*; videatur *Athenæus l. 8. c. 2.* sub cælo *Norvegiano* sæpe pluere pusillis animalculis, haud absimilibus specie, autor est *Scaliger in 1. Theophrasti de caus. plant. fol. 16.* Idem etiam meminit pluviae *ranarum*, *exerc. Ranarum.*



323. inquit: *Mirambellum* oppidum est *Santonica* præturae: in ejus agro tantum pluit ranarum, ut cumulativè totæ viæ tegerentur: oppidani neq; domo efferre pedem, neq; ubi vestigium ponerent, haberent. Harum pluviarum *causa* potest esse varia commistio exhalationum cum vapore humido, congruente qualitatibus vi: *vel* quando è lacubus, stagnis & paludibus crassi vapores ad pluviarum constitutionem in sublime evehuntur, ex quibus postea intra nubem vi Solis caloricâ ejusmodi animalcula nascantur: sicut enim ex putrida & canosa materia apud nos nascuntur *mures, ranae vermiculi &c.* ita ex eadem putredine similia gigni possunt in nubibus.

*Lapidum.* LXII. *Lapidibus* pluisse, notat *Eivius dec. 1. l. 7. dec. 3. l. 1. 2. 3. 4. 6. 7. 10. dec. 4. l. 5. 6. 8. dec. 5. l. 1. 2. 3.* Quos in nubibus nasci, non videtur absurdum esse, uti testatur hoc *cuneus fulmineus*. Lapidem enim gignuntur exsiccatione & compactione materiae terrestri, ideoq; commodissimè possunt confici à fervore exhalationis, nubibus inclusæ. Nam dum ista materia æstuat, & viam eluctandi rimatur, partes humiditas absorbit, & siccas cogit in densitatem lapidis.

*Ferri.* LXIII. *Ferri* pluvia decidit anno, antequam *M. Crassus* à *Partis* unà cum suo exercitu interfectus est; teste *Plinio l. 2. c. 56.* *Causa* hujus pluviae esse potest, quando vapores metallici aut sulphurei maximâ caloris vehementiâ in aere indurantur.

*Lanae.* LXIV. *Lana* pluisse fertur, *L. Paulo & C. Marcello Coss.* circa *castellum Carissanum*: cujus *causa* datur, quando Sol unà cum vaporibus ab arboribus aut salicibus, vel virgultis & plantis attrahit simile quiddam, quod postea instar lanæ conglobatae cum pluvia in terram delabatur.

LXV.



LXV. *Laterum coctorum* pluviã decidisse, T. An-  
nio Milone causam dicente, idq; in ejus anni acta relatam  
fuisse notat Plinius *ib.* Causa laterum coctorum est nimia  
caloris vehementia in aere, cogentis fumum viscosum  
terrestremq; materiam. *Laterum  
coctorum.*

LXVI. De pluvia, tempore Constantij Imperatoris, Crucium.  
quã vestes signaculo crucis signatæ sunt; videatur Eutropius  
l. ii. de Constantio: & Sozomenus l. 5. c. 1. Rationem reddere  
conatur Cardanus l. 16. de subtilit. quod pulvis admodum  
aridus vestibus adhæserit, quem guttæ diluentes, in  
crucis figuram diduxerint: vel quod texturæ filamenta ta-  
lem per se formam habeant: vel quod mediam in partem  
incidens humor, majori mole cohæreat, per extrema au-  
tem in stellarum aut crucium formas diffiliat, cum latè  
sparsæ guttæ non possint omninò continuari. Et tantum  
de pluviis prodigiosis, quæ sicuti raræ sunt, ita nullum est du-  
bium, quin jisdem, quando accidunt, ut& aliis multis pro-  
digis, DEUS ad pœnitentiam nos adhortetur.

LXVII. Pluvia naturalis est, quæ constat causis Phy-  
sicis, quas supra adduximus: estq; vel levior vel gravior. *Pluvia na-  
turalis.*

LXVIII. Levior est, cum raræ & exiguæ guttæ instar  
pulveris paulatim defluunt: unde Germanis dicitur ein  
Staubregen: Latinis stillicidium: Græcis ψενάδιε. i. Meteor.  
9. dicitur etiam pluvia benedictionis. Si vero huic materiæ a-  
queæ, mala aliqua qualitas, ut terrestris adusta salsa, ama-  
ra putridave, juncta fuit, tum rebus nascentibus solet esse  
noxia pluvia, & vocatur à nostris, böse Meletaw. *Vel levior.*

LXIX. Gravior est vel imber, vel nimbus, vel catara-  
cta. *Vel gravi-  
or.*

LXX. Imber ὀμβρος, est, cum guttæ graviores qui-  
dem, sed sine vehementi impetu jugi tenore defluunt, *Imber,*



quibus terra quasi ad germinandum inebriatur: quò eti-  
am respicere videtur partim appellatio *Latina*: partim  
*Germanica*, quæ est *Wachsregen/Meyregen*.

*Nimbus.*

LXXI. *Nimbus* est, quando cum impetu guttæ gra-  
ves & densæ confertim & confestim decidunt. *A nostris in*  
*vernaculâ linguâ* appellatur *Plasregen*: à *Græcis* λαιβορέην  
sc. pluvia, h. e. immodica, impetuosa & vehemens.

*Cataracta.*

LXXII. *Cataracta* est, quando tota nubes, derepen-  
te soluta, rumpitur & deorsum cadit magnâ cum inunda-  
tione ac eluvione; quæ subita effusio *Græcis* dicitur ἐξυδρία;  
*Germanis* vulgò casus aut ruptura nubis, sine *Welecken-*  
*brust*. *Alij* referunt hujus repentinae inundationis causas  
*ad montium rupturas*, ex quibus tantam aquarum copiam  
evacuari contendunt: sed hoc veritati non videtur con-  
sentaneum: *tùm* quia nullum ejus rei in montibus relin-  
quitur vestigium: *tùm* quia sæpe istas plagas inundat, quæ  
prorsus montibus destituuntur, inq; ijs locis initium du-  
cit, quæ sunt planissima.

LXXIII. Hæc autem *pluvia varietas* est partim in nu-  
bis substantiâ aquosiori & minus aquosâ: partim in in-  
æquali virtute vel caloris vel frigoris: partim etiam in loci  
diversitate modò altioris, modò humilioris.

*Signa pro-*  
*gnostica*  
*pluvie.*

LXXIV. Ultimo deniq; loco, *signa quædam pluvie*  
*prognostica* subjungemus: eaq; dividemus in tres classes,  
quarum *prima* complectitur signa, quæ notantur in cælo  
2. quæ in aere: 3. quæ in animalibus. De omnibus, quantum  
quidem poterimus, breviter & succinctè agemus, annexis  
simul eorum *causis*, quippe quibus inventis, ratio etiam  
de effectu consequente patebit.

*In cælo.*

LXXV. In cælo, pluviani futuram prænunciantia,  
signa sunt 1. *Solis ac Lune pallor*. Sol quidem & Luna per se  
lucida



Lucida sunt corpora; Sed *respectu nostri* videntur pallida; idq; fit propter vaporum humidorum copiam, interjectorum inter nostrum aspectum & corpora ista cœlestia. 2. *Cornua Lune obtusa ac tenebricosa mox à novilunio*: ubi itidem vapores plurimi rem aspectabilem incrassant. 3. *Stellarum de nocte obfuscatio*: cujus obfuscationis causas esse nubes crassas, nemo fortassè negabit.

LXXVI. *In aere* signa venturæ pluviae sumuntur: 1. *In aere* ex vaporum ascendentium nubiumq; densarum frequentia: siquidem datâ causâ sequitur effectus, non igitur potest non sequi pluvia, tanquam effectus nubium. 2. ex nubium celeritate, ortâ à ventorum impulsu, quo nubes coactæ densantur & vehementer comprimuntur, adeò, ut humorem conceptum diutiùs continere nequeant. 3. ex rubedine matutinâ: quam communem observationem Meteorologicam allegat ipse Salvator *Matth. 16. 2. 3.* neq; deest ratio: hæc enim rubedo testatur, multos vapores noctu collectos unâ cum Sole in mediam aeris regionem ascendere, quò delati, frigore ejusdem regionis densantur, postmodum in nubes, & ex his in pluvias abeunt.

LXXVII. Signa ex animalibus desumpta sunt: 1. *In animalibus* *Hi-* *rundines circa litora volitantes,* & latebras quærentes contra instantis pluviae injuriam. 2. *Grues per alta cœli involantes;* hi enim ex aeris alteratione pluviam præsentientes, aliiùs fursum enituntur, ut hoc modo eandem effugiant. 3. *Corvi & corvices crocitantés,* nim. præ impatientiâ venturæ pluviae, quam metuunt. 4. *Aves maritime & lacustres,* de quibus *Virgilius ex Varrone l. 5. de ling. Lat. canit:*

Tùm liceat pelagi volucres, tardæq; paludis  
Cernere in expleto studio certare lavandi,  
Et velut insolitum pennis infundere rorem.



Hoc autem faciunt præ gaudio ob instantem pluviam, cuius magno tenentur desiderio. 5. *Galli tempore insolito clamantes*: hi enim cum sint calidi temperamenti, sentientes, se vaporibus jam per aerem sparsis refrigerari, voluptatem percipiunt, eamq; cantu declarant.

LXXVIII. 6. *Tineæ se contorquentes*, cum alias saltent: non enim adeo afficiuntur, quando humidus est aer, & ob id nec adeo exiliunt: plerunq; autē imminente pluvia aer est humidus. 7. *Pulices, culices, muscæ & vespa, animalia acrius infestantes*, quia præ diuturnæ ariditatis impatientiâ humorem appetunt: ariditatem verò diuturnam sequitur pluvia. 8. *Canes gramina comedentes*. Hi enim, utpote calidi & sicci, diuturnâ siccitate graviter affecti, refrigerium appetunt & expectant. 9. *Porci stramina ore gestantes*: qui dum mox secuturam pluviam, sibi adversam, vitare laborant, domum festinantes, secum pabuli partem in ore deferunt. 10. *Boves aerem olfactantes*, de quibus versiculis festivissimis *Cicero*:

Mollipedesq; boves, spectantes lumina cœli,  
Naribus humiferum duxere ex aere succum.

Quia nim. aeris densitatem, quæ instante pluvia fit, sentiunt, ideoq; hoc modo auras captare solent.

LXXIV. *Ranæ solito frequentius coaxantes*, & quasi gaudentes ob venturam pluviam, suæ naturæ convenientem. De his *Cicero in Arateis*:

Vos quoq; signa videtis aquæ dulcis alumnae,  
Cum clamore paratis inanes fundere voces,  
Absurdoq; sono fontes & stagna cietis.

Quis est, qui ranunculos hoc videre suspicari possit? Sed inest mirè & ranunculis quædam natura significans aliquid, per se ipsa satis certa, cognitioni autem hominum obscurior: ut idem *Cicero* inquit l. 1. de divinit.

LXXX.




LXXX. Plura pluviae prognostica addere nolun-  
us, quæ qui desiderat, videat luculentum tractatum Mi-  
zaldi in egregio libello de Phænomenis aereis sect. 1. Meurerum  
in quest. de pluvia. Plinium l. 1. natur. hist. c. 35. & l. 18. c. 35.  
Zanchæum de oper. Sex dierum part. 2. l. 3. c. 5. t. bes. 5. Virgi-  
ium l. 1. Georg. & alios.

LXXXI. Hoc verò *notandum* est: quòd signa ista,  
quæ partim ab *aliis*, partim à *nobis* recitantur, *alia ma-*  
*gis alia minus certa* sint, ac proinde etiam  
prædictionem *magis minusq̄, cer-*  
*tam* pariant.

T. Θ. Δ.







Elegans Pontani carmen de Plu-  
viâ cap. 7. Meteor.

**A**lle igitur per inane vagum sublatus in auras  
Convertit se se insinuans, passimq; coactus  
Densatur magis atq; magis, tum nubibus actis  
Frigida per loca, sub cœli regione malignâ,  
Id quod erat calidum, sensim effluit, & volat alta  
Sub loca, quâ positis fervent incendia castris.  
Ipse autem cogente gelu tabescit; & inde  
Liquitur, irriguæq; cadunt ex aere gutta.  
Quia & frigida vis propius cohibente calore  
Colligit in se se, majoraq; robor a sumit.  
Cogitur hinc sparsus passim vapor. Inde coactus  
Solvitur, & pluviæ rumpunt de nubibus imbres.  
Interdum rapidos omnes est cernere passim  
Diffluere, & totum in pluvias descendere cœlum,  
Tantus in aërio se se globus orbe coegit.

